

I. *A clarissima scripturarum littera*, quae testatur, in V. T. tantum per Prophetas DEVM variis modis locutum esse, in N. autem T. per filium Ebr. I, 1. et eos, qui a filio ad Ecclesiam plantandam missi sunt, Hebr. II, 3. 4. et, quod prophetiae Canonicae nihil sit vel addendum, vel demendum. Apoc. XXII, 18. 19.

II. *A deficiente promisso mittendorum prophetarum* et e contra addita cautela a cauendis pseudo-prophetis, qui sub finem mundi in orbem exiuri essent Matth. XXIV, 24. In V. T. tantum extitit promissio de dandis prophetis, Num. XII, 6.

III. *A facili deceptione*, si eiusmodi reuelationibus tanquam immediate diuinis adhibeamus fidem. Nam diabolus se conuertere posse in angelum lucis, et praedicere posse falsas prophetias, quae vere eueniant, ipsis scripturae testimoniis edocemur. Deut XIII, 1. sqq. Diuina autem ab his diuinitatem mentientibus discernere, hodie difficillimum est, postquam, et donum discretionis spirituum, hunc ipsum in finem, antiquae Ecclesiae peculiariter concessum, et donum miraculorum, quibus fidem vaticiniis suis vere asserebant V. T. prophetae, euanuerunt. Qui vero simul recentia vaticinia pro diuinis amplectitur, is a verbo diuino, quod exponi per nouissimam reuelationem existimabit, paulatim magis magisque recedet, et extra canonem scripturae, qui nobis haec hactenus et olim vnicum religionis principium fuit, tot novos admittet canones, quot nouae in dies cuduntur prophetiae. Si enim  
nouae